



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 35. De cognitione simplicis Quiditatis. ad tex. com. 115.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

Veritas
falsus
in intel-
lectu.

alicuius de aliquo. Alterum, eam tum veritatem tum falsitatem admittere, esseque semper aut veram aut falsam. Intellectus autem, hoc est simplicium intellectio, non item: sed tum verus duntaxat est, non falsus. Quia simplex obiectum aut apprehenditur totum quemadmodum est, aut omnino non apprehenditur; si totum apprehendatur verus est intellectus; si omnino non apprehendatur, falsus verè non dicitur, sed prorsus ignorans. Circa hæc, inquit Philosophus in nono Metaph. libro textu 22. non est decipi, sed aut intelligere aut non. Et Plotinus intellectus aut tetegit, aut non tetegit. Falsum autem, ait Simplicius in eo consistit, quòd quadam ratione contangat rem & quadam non contangat, atque in hoc mentitur. Tum verò non dicit aliquid de aliquo (hoc enim compositio est) sed circa ipsum quid est veratur, solamque rei cuiusque essentiam per se & solitariam, non cum alia complicatam considerat: hocque illud est (iuxta quid erat esse) hoc est quatenus quid est intelligit. Nam, ut Philoponi utar verbis, quid est substantiam declarat; quid erat autem esse, formam: ac si diceret, intellectus ille, qui substantiam, quæ est secundum formam seu ipsam formam per se, apprehendit; verus duntaxat est, non falsus.

Vtrumque porrò intellectionis genus accommodato illustrat Philosophus exemplo. Alterum enim est velut affirmatio, alterum quemadmodum proprii obiecti sensus. Affirmationem solam & non item negationem dixit. Aut quòd vnicuique satis esset exemplum, illudque potius adferendum, quòd & prius est & tanquam habitus. Aut quòd dictionis alicuius de aliquo accommodatum exemplum erat Enuntiatio illa, qua de aliquo quidpiam affirmatur; non item ea, qua negatur atque ab illo remouetur. Alterum autem exemplum sensus duobus ferè modis licet exponere. Prior est: Quemadmodum sensus si solam qualitatem obiectum suum proprium, ut aspectus alborem, absque subiecto cognoscat & iudicet, non errat: errat autem persèpe, dum qualitatem subiecto adiungit, albumque hominem esse aut non esse asserit. Ita intellectus si in sola rei essentia & definitione versetur, verus tantum est, non falsus: At si cum essentia conditiones & accidentia coniungat, iam falsus quoque persèpe fit, quatenus aut inesse dicit quod non inest, aut non inesse quod inest. Posterior autem, ut sensus quòd suum negotium agit & circa proprium sibi occupatur obiectum, non errat, errat verò circa ea, quæ sunt obiecto proprio adiuncta, quæ ex accidenti sensilia vocantur. Sic & intellectus, dum circa quidquid est, tanquam circa proprium obiectum, veratur, nunquam est falsus: Est autem non rarò, dum adiuncta illi componit. Vtramque interpretationem confirmant ea, quæ in superioribus tradita sunt id textu 161. nisi quòd ibi sensum vniuersè, hic in specie aspectum dixit: alioqui eodem albi exemplo sensum propriorum affirmavit esse verum. Circa id verò inquit, cui hæc accidunt, hic iam contingit esse falsum: Quod enim album sit, non est falsus: Si verò album hoc aut aliud quodpiam, falsus est. Dum enim (id, cui hæc accidunt) dicit, tum qualitatem & su-

Intelle-
ctus
sensus
similitu-
do.

biectum interpretationi priori, tum sensilia proprium & ex accidenti adiunctum, posterius subministrat.

Cæterum cur non sensum vniuersè, sed aspectum in specie, hoc loco nominauerit; prorsus verbis plures rationes pulchre collegit Simplicius, & quia longinqua maximè percipit; & quia vnite & collectim cognoscit; & quia maxime (quantum sensibus licet) impartibilis & abstractus sit, conuenientissimus est qui comparatur intellectui. Est enim expressa magis & conspicua illius imago.

TEXTVS.

Ὅπως ἐχει ὁ αἰσθητικὸς τῶν ὀφθαλμῶν.

Ita se habent quacumque sine materia.

COMMENTARIUS CXV.

Hæc verba de facultatibus intelligentibus ita intellexit Philoponus, ut sicut se habet sensus ad sensilia, tum propria, tum non propria; illa sine errore, hæc cum errore cognoscenda: Ita quæcumque sine materia, hoc est intellectus & dianza, immateriales facultates, se habeant ad intellectilia. *veritas enim simplicia vniuersi proprii obiecti respondent; falsitas verò & composita visioni obiecti non proprii.*

Sed melius Themistius & Simplicius de intelligentibus rebus Intellectum enim simplicium & ipsius quid est, iam dixerat verum semper esse, nunquam falsum; neque hoc erat repetendum. Sed cum sensus exemplum adferret, quemadmodum aspectum proprii verum semper esse dixerat; ita se habere subiunxit quæcumque sine materia, hoc est simplices formas & quidditates, dum à materia separantur & persè absque materia, & iuxta quod erat esse, intelliguntur; verè semper, falso nunquam intelliguntur. Ut ergo, inquit Themistius, caueri error possit, sola essentia & forma spectanda est, & quod materia eiusque appendiculis vacet. Est enim genus hoc rerum peculiariter mentis ac suum. Quippe rei cuiusque quidditate sola compræhenditur: accidentia & conditiones adiunctæ ad sensum magis pertinent. Quare ut circa proprium sensibile non errat sensus, sed circa adiuncta; ita prorsus intellectus in cognitione quidditatis atque adiunctorum attributorum se habet.

DIGRESSIO XXXV.

De cognitione simplicis quidditatis

Quemadmodum in cognitionibus intellectus veritas sit aut falsitas, antea satis dictum est, dum de huius facultatis actionibus digrediendo diximus. Nunc ex hac Philosophi oratione duplicem illam veritatem colligas, quam eo loco tradidimus. Nam dum in sensu quoque cuius cognitio simplex est, inesse veritas affirmatur similis illi, quæ

Dialecticus

que in simplici intellectu cognitione agnosci-
tur directa ab illa, quæ in affirmatione est & nega-
tione; superiorem omnino illam explicationem
vniuersam confirmat. At veritati huic duplici non
nisi vna opponitur falsitas, veritati nimirum compo-
sita: simplici namque non falsitas aduersatur,
sed ignorantia. Itaque quod S. Thomas addit, in qui-
ditas cognitione duobus modis posse ex accidenti
esse falsam aut errorem: Primum si vnius rei defini-
tio alteri tribuatur; deinde si definitionis partes
non coherentes accipiantur: minus probandum
est. Quippe quiditatis cognitio simplex tota est,
neque compositionem habet aut attributionem;
quæ ad alteram mentis functionem pertinent:
neque item partes, quarum vna cognoscit altera
ignorata queat. Sed indiuidua cum sit, aut co-
gnoscat tota formaturque notio rei conformis,
aut planè non cognoscitur, & ignorantia est, non
falsitas aut error. Et si enim in definitione apprehen-
di plura videantur, genus & differentia; vnum
tamen solum apprehenditur: quia eiusmodi sunt
definitionis partes, vt altera sit vt materia, potestas
& indeterminatum quidpiam, altera vt forma,
actus, & determinans; quemadmodum in 7. & 8.
Metaph. docetur. Ex materia verò, formaque, po-
testate & actu eiusdem generis, fit vnum per se: at-
que vt ex definitionis partibus fit vnum, sic ab in-
tellectu apprehenditur vt vnum. Omnis ratio, in-
quit Philosophus in libro de interpretatione
cap. 4. nisi addatur verbum, vnum quidpiam est
& non multa, animal gressibile bipes. Ideo etiam
nec in ea falsitas est. Si enim pugnant partes ap-
prehendas, vt animal non sentientem substantiam,
omnino animal non apprehendes, sed illius conce-
ptum penitus ignoras, animalisque nomine
aliquid aliud concipis, cui substantia sensus ex-
pers non repugnat, nempe anima tua dumtaxat
aut corpus. Quod si partes non pugnent, si sint
vere genus & differentia, summa veritas est, quia
conformis rei conceptus formatur: si autem
non sint, vt si animal album concipias, quoniam
ex simplici apprehensione rei non dicis animal
esse genus & album differentiam: aut contra, hæc
duo essentiam vnam efficere, hanc eam animalis es-
sentiam esse, in quibus omnibus falsitas quidem
ellet, at in secunda, non in prima intellectu operatione,
in qua nec affirmatur quidquam nec negatur:
sed solum duo illa apprehendis, quæ cum
non pugnent, falsum non faciunt intellectum, si
apprehensio sola spectetur: Quoniam apprehen-
dit ea, quæ non pugnant. Fallereret autem, si id,
quod concipit, concipiam attribueret, illius quidi-
tatem ac definitionem esse aiendo. At hoc ap-
prehensionis simplicis non est, sed affirmationis.
Itaque sola quiditatis apprehensio aut semper
est vera, aut quiditatem non attingens eam
ignoratur.

Propterea certa ratio cogitanda fuit, qua cuius-
que rei quiditatis notitiam veram assequeremur;
sicut & certa constituta fuit demonstrandi pro-
prietates de essentia. Ea est definitio, quæ pro-
priam accipit cuiusque rei genus & propriam dif-
ferentiam, quibus quiditas constat. Quam ob
causam in secundo de posteriori analysi libro
à tex. 17. præcepta dantur propriam accipiendi
genus & propriam differentiam. Diuidendo
namque multa examinare singula oportet secun-

Ada & tertia intellectus operatione, num illi qui-
ditati conueniant, vt proprijs illius partibus in-
uentis simplici tandem eam intuitu videamus: id
que operatione prima, cuius proprium est sim-
plicem quiditatis cuiusque formare notionem.
Non enim cuiusquam attributione, sed eorum
omnium quæ insunt in re, comprehensione at-
que intuitu id assequimur: siquidem nec vllam
habet quiditas causam, ex qua illius cognitio de-
ducatur, quemadmodum proprietatum cognitio
deducitur, sed ipsa debet in se ipsa videri: quan-
quam in nobis intuitus hic imperfectior est,
quam in separatis mentibus & Deo: illumque se-
cunda & tertia operationibus iuuare oportet,
quibus antecedentibus excitatur quasi & dirigitur
intellectus, vt perfectè rem quamque possit
apprehendere. Intuitus quippe obiecto eget
præfente, occultaque nobis atque sub accidenti-
bus latens est quiditas: secunda verò & tertia ope-
rationibus, quibus genus & differentiam quæri-
mus, manifestatur & panditur, ita ratiocinatione
inuenimus eaque insunt rei, apprehensione autem
tem, quid ipsa sit, intuemur. Quocirca definitio
alio profus modo, quam demonstratio, instru-
mentum sciendi est. Hæc namque instrumentum
est vt ex principiorum cognitione distinctam
conclusionis, quæ demonstratiua scientia dicitur
cognitionem deducit: demonstratioque seu in-
strumentum, quo principia cognoscuntur, & vt in-
scientia quæ instrumento illo comparatur, ma-
gnopere distinguuntur. Quippe demonstratio
instrumentum est ratiocinatione vtens, vimque
habens deducendi rem quæ alteri per causam
inest: duasque continet cognitiones: vnam causæ
in principijs; alteram rei, in conclusione. At in
definitione non est scientia ab instrumento dis-
tincta: sed idem sunt instrumentum seu definitio,
& scientia eius. Quoniam alterum hoc instru-
menti genus nec ratiocinatione vtitur nec de-
ductione, sed solo constat intuitu: vnaque & eam-
dem cognitio est apprehendere genus & dif-
ferentiam, & intueri definitionem totam & quidi-
tatem: neque aliud quidquam est definire ap-
prehendendo genus & differentiam, quam ille
mentis actus, quo quiditatem intuetur, totam il-
lius perfectionem duobus illis gradibus compre-
hensam videndo. Non enim differt quiditas à re,
neque habet causam, ex qua cognoscatur: sed in se
ipsa cognoscitur: & in libro de interpretatione
cap. 4. definitionem Philosophus dixit enuntia-
tionem non esse: & in primo de Posteriori ana-
lysi tex. 25. ab hypothesisi distincti: & libro secun-
do tex. 2. id, quod definitur, non demonstrari
probauit, quia nihil in definitione attribuitur: &
in 7. Metaph. à tex. 11. à definito illam distincti,
quod ipsa sit ratio alicuius & ipsum quid. Et si in-
terdum illam accipiens tanquam propositionem
& vt attribuitur definito, vt in primo Analyti-
corum libro text. 22. & libro 2. tex. 10. eam esse
scripsit aut principium, aut conclusionem de-
monstrationis, aut etiam solo situ à demonstra-
tione differre. Sed & de accidentium definitio-
ne loquebatur; & quidem de imperfecta, quæ
rem tantum esse explicet; habeatque causam,
ex qua probetur: neque ea concluditur demon-
stratione vt est definitio, sed vt quædam quasi
proprietas rei.

Defini-
tione
inmetri-
gatio.

Defini-
tio &
Demen-
stratio
vt in-
strumē-
ta sciendi.

